# ADDENDA ET CORRIGENDA

Video operas manu meae nondum aſſuetas male in notis quaedam reddidiſſe; alibi ipſe dum breuis eſſe ſtudui, in obſcuritatem prolapſus fui. Haec igitur breviter omnia corrigam.

Libro I. 1. 14. p. 7. Lectio vulgaris erat *τὰ τυχόντα καὶ θηρία.*

I. 2. 1. p. 13. *ἀρκοῦντα*] Similiter Oeconom. II. 8 *οἱ δὲ σοὶ φίλοι πολὺ ἀρκοῦντα σοῦ μᾶλλον ἔχοντες τῇ ἑαυτῶν κατασκευῇ ἢ σὺ τῇ σῇ.*

I. 2. 37. p. 26. In nota poſtrema col. b. lege: *iratum Anytum.* Deinde lin. 27. lege *tacere* non *facere.*

I. 3. 14. p. 45. *πρὸς τοιαῦτα*] Ἀφροδίσια h. l. et ſect. 8. non ſunt res venereae, vt interpretatur Erneſti, ſed amores vel maſculi vel foeminei, aut amaſii. Ita *παιδικὰ* ſunt amaſii, amores maſculi. Hinc ſect. 8 *ἀφροδισίων καλῶν.* et in Oecon. XII. 13 *οἱ τῶν ἀφροδισίων δυσέρωτες.* Et amorem quidem maſculum Socrates in Sympoſio Xenophontis Platonico per aemulationem oppoſito aperte et multis argumentis improbat: Contra Antiſthenes, fideliſſimus auditorum Socratis ibidem IV. 38 ita de ſe profitetur: *ἢν δέ ποτε καὶ ἀφροδισιάσαι τὸ σῶμά με δεηθῇ, οὕτω μοι τὸ παρὸν ἀρκεῖ, ὥστε αἷς ἂν προσέλθω, ὑπερασπάζονταί με, διὰ τὸ μηδένα ἄλλον αὐταῖς ἐθέλειν προσιέναι.* Hinc loci huius ſententia ita conſtitui debet. Ab initio ſect. 8 contra amorem maſculum diſputauit Socrates; hanc vero diſputationem concludit iis verbis nunc, quae de amoribus maſculis et foemineis poſſumus interpretari. Sed comparato loco Sympoſii intelligitur, *ἀφροδίσια* ea, qualia h. l. iuuentuti incontinenti concedit, non ſuadet, Socrates, eſſe omnino foeminea, amores proſtibulorum vilium et turpium. Ipſum vero Socratem ſatis immunem ab vtriusque amoris vſu et culpa praeſtat oratio Xenophontis quamuis figurata. Vuluiuagae autem Veneris vſum, ſi tum immanis illa Veneris peſtis Americana innotuiſſet, ipſe adeo indulgentiſſimus Socrates defendiſſet auditoribus ſuis. Hinc corriges quae vel ipſe vel Zeunius nimis ieiune vel obſcure ad h. l. docuerat.

Libro II. 1. 26. p. 89. col. b. l. 32 et 33. lege *mares* bis pro *mores.*

II. 10. 4. p. 145. col. b. lin. 7. lege: *Lolio.*

Lib. III. 4. 11. p. 163. col. b. lin. 4. lege: *nihilo tamen magis.*



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id375455116/23 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG